

<i>Mater Anna</i>	Feast of Saint Anne Matins, Lessons IV, V, and VI
<p>Mater Anna quisquae <i>personat</i> promissionis foetum peperit. Dulcis Anna quae piissima tantum vobis fructum edidit ex quo dulcis Jesus prodiit.</p> <p>Mater Anna, dulcis Anna, quam beata <i>Domus David ex quam prodiisti et venter in quo Deus sanctificationis aram fabricavit. Audite gentes inopinatum miraculum. Audite Annam, congaudete mecum quia per divinum germen ex sterili ventre peperit.</i></p> <p>Matrem Annam quisque personat promissionis foetum peperit.</p> <p>Audite gentes miraculum, audite Filium Mariae, congaudete mecum quia pratum <i>Divino opificium formatum supra naturam edidi.</i></p> <p>Dulcis Anna, quae piissima tantum vobis fructum edidit ex quo dulcis Jesus prodiit.</p> <p>Mater Anna, dulcis Anna, tu <i>benedictionis fructum uberibus tuis nutriisti</i>, non eius partum Jesum [peccatis] cruci configimus. Tu dulcis Anna, tu miserere, tu salva nos, adjuva nos.</p>	<p>Lesson IV.</p> <p>Proponitur nobis Annae thalamus, conjugalis vitae simul et virginitatis formam referens, illam matris, hanc filiae: quantum altera, recens sterilitate liberata est, altera autem aliquanto post, Christi partum ad nostrae naturae conditionem <i>divino opificio formatum, supra naturam est editura</i>. Merito igitur Anna divino spiritu plena, laeto hilarique animo <i>personat: Congaudete mecum, quae promissioni germen ex sterili ventre peperit, ac benedictionis fructum uberibus meis, ut optaveram, nutrio</i>. Sterilitatis moestitiam exui, ac laetam foecunditatis vestem indui. <i>Congaudeat mecum</i> hodie Anna illa Phenennae adversaria et novum hoc atque <i>inopinatum miraculum</i>, quod in me gestum est, suo esemplo concelebret.</p> <p>Lesson V.</p> <p>Exultet Sara senili gaudio gestien, meum que ab sterilitate conceptum praefigurans. Concinant simul steriles et infoecundae visitationem meam admirabili modo caelitus factam. Dicant item matres omnes hac fecunditate praeditae: Benedictus qui orantibus id quod optabant, largitus est, et foecunditatem sterili dedit, ac felicissimum illud germen Virginis concessit, quae mater Dei fecundum carnem fuit, cujus venter caelum est, in qua habitavit is, qui nullo loco capi potest. Consonam his nos quoque ipsi, quae vocabatur sterilis, nun autem, virginei thalami mater extitit, laudem offeramus. Dicamus ad eam cum Scriptura: <i>Quam beata domus David, ex qua prodiisti, et venter, in quo Deus sanctificationis arcam; hoc est eam, à qua ipse fine semine conceptus est, fabricavit.</i></p> <p>Lesson VI.</p> <p>Vere beata es, ac ter beata, quae beatitudine donatam a Deo infantem, hoc est, Mariam, nomine, quoque ipso magnopere venerandam <i>peperisti: ex qua Christus vitae flos extitit, cujus Virginis et gloriosus fuit ortus, et partus mundo sublimior</i>. Nos quoque, o beatissima femina, tibi gratulamur. Etenim nostrum omnium spem divinitus concessam, hoc est, <i>promissionis foetum peperisti</i>. Beata revera es, et <i>beatus fructus ventris tui</i>. Piorum autem lingua germen tuum magnificat, ac sermo omnis laetus partum tuum praedicat. Dignum sane quidem, ac masime dignum est eam laudare, quae divina benignitate oraculum nobis <i>fructum edidit, ex quo dulcis prodiit.</i></p>